DISSERTATIUNCULA

De

LUNA CORNICULATA, FAMILIARI

TURCIS INSIGNI;

Quâ

PLURIMUM VENERANDOS

DNN.

INSPECTORES,

UT ET

VIROS OMNIUM ORDINUM SPECTATISSIMOS,

M. JOH. FRIDERIC. Röber/ ILLUSTRIS Ruthenéi RECTOR,

Ad benevolè auscultandam

ADAMI CHRISTOPHORI DREHERI, GREIZA VAR.

ORATIONEM VALEDICTORIAM,

Submissè, officiosè perquam ac humanissimè

INVITAT.

Geræ Ruthenicæ, Typis Georgi Heinrici Mülleri.

PAbuerunt jam pridem in usu veteres Christiani, ut crucis signo uterentur pro tesserâ, (a) in memoriam scilicet Sospitatoris O. M. qvem in crucis stipite ignominiosô suffixum, mortem pro se acerbissimam subiisse nobiscum confitebantur. *Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, qvacunq; nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* dicit Patrum Latinorum antiqvissimus, Tertullianus. (b) Qvem imitatus sanctissimus Hieronymus, ait: *ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem.* (c) Qvi mos si citra superstitionem est, & cum fide maritatus, qvæ meritô passionis & crucis Christi nititur; neqvaqvam improbari debet. Idem crucis signum imprimi panibus, imponi ædificiis publicis, addi privatis, intexi labaris solebat; ut locupletissimis variorum testimoniis evinci posset, si foret opus (d). Qvid? qvod & inter sacra Imperii pignora jam olim habita fuit crux Salvatoris, (e) apud eos præcipuè, qvi rerum summæ in Oriente præfuerunt (f). Qvem verò ad modum Christo deditis pro symbolo crux fuit; ita antiqvissimis jampridem seculis receptum usu videtur, apud Turcos, infensissimos illos & implacabiles Christianorum hostes, ut lunâ corniculatâ uterentur, pro signo gentilitio. Unde & factum legimus, ut non solùm Phœbes simulacrum in sceptris, in vexillis, in turrium pinnis conspiciendum exhiberent Muhammedani, adeò, ut si qvem eô insignitum apud nostros videant locum, (qvod Viennæ superiori accidit seculo) (g) eundem

dem ad se pertinere, προφάσει non admodum justâ arbitrentur; sed & amoleti instar collis addant lunam fœminæ pariter & infantes, aut qvi horum ætati sunt proximiores: eodem propemodum ritu, qvô agnis Dei, qvos vocant, Papæos se efferre & jactitare videmus (*b*). Unde verò inoleverit mos ille Turcarum, & suos arcessat natales; id verò est, qvod in præsentiarum disqvirere juvat. Lectoris erit benevoli judicare, qvid in re incertâ exsculpi ac indagari qveat certi. Qvod si ergò, qvidqvid hujus rei ex lectione in nostram pervenire notitiam potuit, ordine repetere & in rem adducere præsentem velimus, id non incongruè in tria dispesci capita posse auguramur. Sunt qvippe, qvi à temporibus, Muhammedis ævum antegressis; sunt, qvi ab ipsa ejus ætate; sunt &, qvi post eam rei illius originem arcessere se posse putant. De qvibus singulis nunc seorsim explicandum venit. Igitur exinde Lunam in Turcarum venisse insignia autumat doctissimus Elias Schedius, (*i*) qvod vetustissimis Arabibus Luna pro Dea fuit, & Ismaëlitarum Regibus ornamenti loco. Cui pollicem premit eximius Anglorum polyhistor, Joh. Seldenus, qvi Mahumede longè vetustiorem lunularum apud Hagarenos honorem & cultum fuisse, non solùm ex Uranias figura & antiqvitate, verùm etiam exinde probat, qvod lunulæ priscis Ismaëlitarum regibus eorumqve camelis, tanqvam singularia fuere ornamenta, & uti gentis illius symbola. (*k*) Et Ismaëlis posteros qvidem id ornamenti genus in deliciis habuisse, ex sacrarum literarum pandectis, iidem doctissimi viri probant (*l*). Itaqve cum jam olim illustris atqve religiosus apud gentes orientales, Syros præcipuè, Phœnices, Tyrios, ac Persas Astartes, Uraniæ seu Lunæ fuerit cultus; haud mirum, si eadem erroris qvasi lues ad Arabas vicinos, nationem qvippe superstitioni maximè deditam, ex facili pervenit. (*m*) Inter hos verò qvoniam Scenitæ etiam ac Sarraceni fuerunt; (qvi non à Sarâ, Patriarchæ maximi uxore,

sed

sed ex Arabicâ lingvâ Sarracenos, qvasi latrociniis deditos, dictos fuisse exeruditis non desunt, qvi opinantur (*n*)) qvi Muhammedi, impostorum, si qvis unqvam fuit, callidissimo ac pessimo adhæserunt initiò, & in propagandâ execrabili sectâ regnoqve indipiscendo extitere adjutores: fieri sanè nullo potuit negotio, ut & cultum is lunæ τῶν ἀμφῶν admitteret, qvi apud Saracenos, teste Hieronymo (*o*) & Belluacense, (*p*) usu receptus erat. Facilè enim fieri potest, ut Impostor pro sua calliditate & hos ritus & alios fortè retinendos sibi duxerit, qvò gratior in vulgus & acceptior haberetur. Sanè qvemadmodum gentes aliæ Mercurium colebant, qvatenus Sol erat: ita Sarraceni sive Arabes eundem coluere, qvasi foret Venus sive Luna, ut qvam in præcipuâ dignatione haberent: qvod certo ritu & qvidem ex Arabico Autore probatum dedit eruditissimus Vossius (*q*). Qvi & deducere inde non veretur, qvod, uti Christianorum in templis ac turribus crucem est videre; ita in illis, qvæ Muhammedanorum sunt, conspicere, ideò sit lunam corniculatam, qvam Helal nuncupare sveverint. Eodem modô & originem hujus rei inter veteres Sarracenos qværendam esse, arbitratur ingens Viadrinæ suæ decus, Joh. Christoph. Becmannus, vir longè doctissimus (*r*). Et hæc est prima opinio: qvâ absolutâ, ad ipsam Muhammedis, detestandi Pseudo-Prophetæ, ætatem devoluti, ad mediam pervenimus sententiam, qvæ Lunam Turcis familiarem, ab ipso ejus ævo deducit. Et hîc deprehendimus, illustrissimum Scaligerum à fuga Mohammedis, qvàm Hegiram appellant, hoc est, ut ipsi interpretantur, διωγμὸν, persecutionem, vel peregrinationem religionis causâ susceptatam, natales rei, de qvâ sermo in præsenti est, repetere (*s*). In qvo tamen adversarios habet, certè dissentientes experitur Μεσαγέτης ille magnus, jam antè laudatos Seldenum ac Schedium, qvi, cùm ab ipsis vetustissimis Arabibus, qvin & Ismaëlitis longè vetustioribus deduci

posse

posse arbitrantur ritum, minus rectè ab Hegira Muhammedanâ demum derivari putant (*t*). Et sanè perinde ut Judæi à mundi initio, Græci à primâ Olympiade, Romani ab urbe condita, nos Christiani à nato Sosandro mellitissimo supputamus annos; ita Muslimi pleriqve suos à fuga Muhammedis numerare solent, qvam propter novam à se institutam religionem arripere coactus legitur. Accidit illud anno τῆς τῦ λόγυ ἐνσαρκώσεως DCXXII. die Julii XVI. feria sexta, qvam Veneri jam olim Ægyptii, & his prisciores Chaldæi (*u*), non citra superstitionem ac vanitatem (*x*) dedicaverunt. Cùm igitur diem isthunc pro suo, ut ita dicam Sabbatho, sibi habeant; exinde non difficulter qvis cum incomparabili Scaligero existimaverit, inter insignia receptam à Muhammedis asseclis lunam fuisse. Qvod si qvis verò arguat, Lunam & Venerem inter se differre, nec à fugâ, qvæ Veneris die contigit, ad Symbolum Lunæ, qvo utuntur infideles, concludi posse: is non adeò ineptè dubitaverit, nisi velit admittere, qvod apud veteres gentiles Venus pariter & Luna pro eodem Numine fuerint cultæ: qvod probandum suscepserunt Viri harum literarum peritissimi, Vossius senior (*y*) & Seldenus. (*z*) Utrum ergò ab Hegirâ hac Muhammedis insigne illud, Turcomannis familiare, suum verè derivet ortum, in ambiguum non injuriâ venit. Liceat etiam opinionis hujus, si satis arrideret, tibicinem ac fulcrum qværere, aut in Muhammedis (proh flagitium hominis!) nativitate aut miraculo, qvod patrâsse fertur, si opus foret. Nam dicitur natus & hilaris prodiisse in lucem ex alvo materna, perpetuis mancipandus tenebris, ac circumcisus præterea die Lunæ duodecima die Mensis Rabe, primo anno Elfil; ut produnt Chronica Saracenica (*aa*) mendosa illa & subleste planè fidei. Inter miracula verò ejus tanqvam præcipuum numeratur ac proprium, in Pandectis Turcicis, (*bb*) qvod Lunam aliqvando bipertitò divisam à se conjunxerit denuò ac compegerit, (*cc*) & viam,

viam, adeò animabus morientium, suâ religione, in cœlum straverit. Hâc videlicet calle itur ad cœlum: hoc duce ad beatitudinem opus est, eam scilicet, ubi, verbis qvidem Tragici; (*dd*)

------- cuncta mœrore horrida,
ipsaqve morte pejor est mortis locus.

Cæterùm vix aliqvid solidi roboris in se habere secundam hanc sententiam, dicendum videtur. Qvare & ultimam afferre nunc lubet deniqve; nempe morem usurpandi inter præcipua insignia Lunæ effigiem, ab Osmanidis (*ee*) Turcarum Imperatoribus arcessi debere, perqvam simile vero esse. Ejus indicium fecit laboriosissimus Joh. Jacob. Hoffmannus, Philologus Basileensis famigerabilis, qvi, qvòd hodie luna dimidiata præcipuo apud Turcas in honore sit, & pro insigni; nonnihil tamen subdubitans, ex occasione somnii, qvod primi Imperatoris, qvi Turcicum condidit imperium, genitrix Lunæ splendorem è sinu suo prodire in universum orbem viderit, auguratur (*ff*). Laudat hanc in rem antiqvitatis ac doctrinæ omnis Coryphæum, Justum Lipsium in monitis, qvæ vocat, & exemplis politicis. Qvi verò non de matre sed patre refert id qvidqvid est somnii, nec Lunam ex hujus, sed sacerdotis vel Turcici potius haruspicis sinu prodiisse commemorat. Hic igitur probaturus, clarissimè Fata in prædictionibus elucere (*gg*), inter alia affert somnium, qvod Ertucules pater Osmanis, cum sumto cibo meridiaretur, vidit. Is igitur experrectus & imagine confusus primò corpus abluit aqvis, & pro religione gentis purgat: tùm ad Edebalem, virum inter ipsos sapientem & sanctum, venit, inqviens: *Somniavi, vir venerabilis,* (Annalium Turcicorum retineo verba cum Lipsio) *splendorem lunæ è sinu tuo prodire, eumq; in meum deinde sinum pervenire. Eo cum delatus esset, ex meô umbilicô enasci arborem, qvæ regiones varias, montes & valles inumbraret. Ad ipsas autem radices arboris*

aqvas

aquas emanasse, quibus vineæ & horti rigarentur: atq; ibi somnium me somnusq; deseruit. Cui, re penitius aliqvantò considerată, Edebales respondit: *nascetur tibi filius, vir bone, cui nomen erit Osman. Is multa bella geret, victoriam & famam pariet, & posteri tui Principes Regesq; terrarum erunt. Mea autem filia Osmani nubet; atq; ie splendor est, qvi è sinu meo prodivit, & in tuo coivit, ex utroq; autem arbor.* Qvàm mira & vera prædictio! addit Seneca Belgarum celeberrimus. Sed & de Luna notabile, qvam scimus inter Turcicæ gentis primaria esse signa. Idem somnium per summam & cæsuratim modò ex Annalibus Turcicis adducunt Jacob. Strukhusius (*bb*) & Paul. Conradus Balthasar Han, (*ii*) non indiligentes harum rerum Scriptores. Cæterùm alibi Lipsius (*ii*) à Byzantinis demum victis ac subjugatis Lunam inter sua signa recepisse dicit Turcas, in signũ victæ gentis, penes qvam Orientis imperium fuisset. In qvo se assentiri ait Augerio Bœsbekio, exlegato Byzantino, viro gente ac mente nobilissimo: apud qvem & viderit numum æreum, in cujus alterâ parte Luna media fuerit, cum inscriptione BYZANTIωN. Mirum verò, nihil hujus extare in eruditissima dissertatione, qvam de Imperatorum Constant. seu inferioris ævi Numismatibus prolixam satis exhibet sub finem stupendi operis, hoc est, Glossarii sui Caro'us Du Fresne, Gallorum πολυμαθέστατος (*kk*). Qvi etsi vel minutissima qvæqve illius argumenti sedulò excussit, nihil tamen de Luna Byzantinorum habet. Ut adeò & de hac re ampliare lubeat, & aliorum, qvi historias Turcarum exactiùs scrutati sunt, audire judicia. Interim cuivis liberum esto, seligere ex variis opinibus, & suam facere, qvamcunqve lubuerit. Illud verò negari non potest, qvod Joh. Leunclavius, solertissimus ille Turcicorum arcanorum scrutator & historicus, (*ll*) *Turcos Lunam Imperio suo velut fatali qvadam lege propitiam & auspicatam, mirum qvantum habere virium in portendendis juvandisq; successibus conatuum suorum, semper existimasse.* Præfa-

ri

ri autem hæc debuimus orationi valedictoriæ optimi Adolescentis ADAMI CHRISTOPHORI DREHERI, GREIZAVARISCI, qvippe qvi pro Victoriâ, à Turcis superiori Septembri gloriosè prope Viennã à Christianis reportatâ, Deo gratias publicè nuncupabit. Per qvadriennium istud, qvo apud nos commoratus fuit, gessit se ita, ut laudem ipsi modestiæ, probitatis & industriæ ex vero tribuere possimus. Unde etiam in bonâ pace Eundem dimittimus, prosperitatem omnem Eidem sincerè apprecati. Ita qvippe meretur ipse, ita & amor, qvô jampridem AMPLISSIMUS DN. PARENS nos dignatur, reqvirit. Ut igitur cras, DEO feliciter annuente, in Auditorio novô DICTURUS benevolè & freqventer audiatur; id verò est, qvod enixè etiam atqve etiam rogamus; daturi sedulò in id operam, ne minus grati in toties tamqve egregiè de Musis nostris meritos videamur. Qvod superest, Deum precamur piè, ut Victoriæ, qvam solus clementissimè indulsit, felicitatem ac robur porrò addere, & amoliri planè à Germaniæ finibus hostem immanissimum velit! λόγον προπεμπτικὸν habebit OSWALDUS Leupold/ GERANUS. P. P. Geræ d. VI. Novemb. A. O. R. ∞ loc LXXXIII.

(a) *Rittersh. sacr. lect. V, 14.* (b) *lib. de coron. milit.* (c) *ad Eustoch.* (d) *Vid. D. D, Zimmerm. ad Tertull. Apolog. §. CCXV, c. 18.* (e) *Vid. Rupert. in Flor. 1, 2, 3, p. 79.* (f) *Becman. in notit. dignit. IV, 4, 3.* (g) *Vid. Jodoc. VVillich. comm. inc. Tacit. Germ. p. 483.* (h) *Vid.* die ietztlebende Türckey/ *p. 78.* (i) *de DIS Germ. Syngramm. II. c. 7. p. 273.* (k) *de DIS Syris Syntagm. II, c. 4. p. 288. & 289.* (l) *Jud. VIII, 21. 26.* (m) *Vid. N. Full. Miscell. sacr. I, 13. p. 88.* (n) *Vid. Jacobi Strukhus. Syntagm. Hist. Sarrac. Turc. p. 9.* (o) *in Hilarione apud Baron. ad A. C. DCXXX. n. VI.* (p) *citante Full. l. c.* (q) *de Idolol. l. 2. c. XXXII. p. 475.* (r) *in notit. dignit. illustr. diss. VI. c. 3. §. 10.* (s) *Vid. l. 2. de emendat. temp. & l. 3. Canon. Isagog.* (t) *Selden. l. c. p. 289. & Sched. l. c.* (u) *Vid. Bapt. Egnat. in raccmati. c. XXI. ap. Jan. Grut. thes. Crit. tom. 1. p. 345. & Jan. Parrhasius ep. LXIII. l. c. p. 816.* (x) *Conr. de Herm. Medic in Add. p. 397. seq. Vid. Ursin. in Anal. I, 6. 2.* (y) *de Idolol. l. VII, cet. p. 309.* (z) *loc. p. 289.* (aa) *f. 215. sub finem Alcorani, qvi latinè cum aliis prodiit Tiguri ann. M. D. L. studio Theod. Bibliandri. conf.* die ietztlebende Türckey. *p. 64.* (bb) *Surata LIII. citante doctissimo & in omni literatura versatissimo Dn. D. Scherzero programmate V. p. 46.* (cc) *laud. Struckh. p. 7.* (dd) *Sen. in Herc. fur. 3.* (ee) *Sic enim ad indolem Turcicæ Arabicaq; linguæ melius dici, qvam Otmanidas sæpè d. Strukh. tradit. p. 120.* (ff) *Lex. univers. f. 950 voce Luna.* (gg) *lib. 1. c. 5. de fato monit. V. p. 16. ed. Goziana.* (hh) *l. c. p. 122.* (ii) in der ietztlebenden Türckey. *p. 298.* (kk) *Epistol. qvæst. lib. I. epistol. XVI.* (ll) *Hunc egregium librum cùm ex domo Viri NOBIL. & AMPLISS. DN. JO. MOSDORFII, Secretarii Ducal. Sax. possideam; non possum facere, qvin hic illius mentione factâ, & munifici ac honorandi Viri gratam publicè restaurem memoriam.* μεγάλη χάρις αὐτῷ. (mm) *in Pandect. Turcic. citante Fullero l. c. p. 88.*